
DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CYNANCHE TRACHEALI.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

CYNANCHE TRACHEALI;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS JEFFREYS,

ANGLUS;

COLLEG. REG. CHIRURG. LONDIN. SOC.

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. ORD.

“ Opprime, dum nova sunt subiti mala semina morbi.”

OVID.

VII. Calendarum Julii, horâ locoque solitis,

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII,

1804.

VIRO OPTIMO

GULIELMO BABINGTON, M. D.

GUIDIANI VALETUDINARII LONDINIENSIS

INVALIDIS MEDICINAM

FACIENTI ;

DE CHYMIA, ET PRACTICA MEDICINA,

PRÆLEGENTI ;

NON SOLUM

ARTIS MACHAONIÆ

PERITO,

SED ETIAM,

OB BONITATEM INGENII, MORUMQUE SUAVITATEM,

AMICIS ET FAMILIARIBUS

UNICE CARO ;

HANC DISPUTATIONEM,

ANIMI GRATI,


ET BENEFICIORUM AMICORUMQUE CONSILIORUM

MEMORIS,

TESTIMONIUM,

D. D. DQUE

THOMAS JEFFREYS.



Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

P A T R I

INDULGENTISSIMO

THOMÆ JEFFREYS,

FILIUS

S.

TIBI, care PATER, pro paterna cura, quâ, quantum in te erat, exemplo imitando et prudentibus atque probis consiliis mihi tenerâ ætate ostendisti, quid laudabile, quid non, quò ferret virtus, quò error, grates persolvere dignas non opis meæ est. Pro præmiis TIBI à me debitis, pietatem, verbis inenarrabilem, quæ meo in pectore viget repôsta, quamque, dum memor ipse mei, alitam fovebo, accipias precor. Vergens ætate, cura, quantum in te erit, ut animo valeas et corpore. Id cum tuâ, tum meâ causâ facias, à te peto. Etiam, care PATER, atque etiam vale.

Sept. Calend. Julii,
EDINBURGO.

}
}

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CYNANCHE TRACHEALI.



PROOEMIUM.

§ I. **C**UM *cynanche tracheali* haud pauca communia sint cum aliis quibusdam morbis; et, quos potissimum adoritur, ii, præ tenera ætate, haud rarò nesciant fari, quid sibi sit rei; haud mirum est, nemini medicorum, ante HOMIUM, in mentem venisse, eam propriis notis definire, et proprio designare nomine.

A

II. Verùm

II. Verùm neutiquàm hinc concludere licet, veteribùs medicis prorsùs ignotam esse. Inter enim notas anginæ, quam generalitèr descripsit HIPPOCRATES, hàud paucæ sunt, quæ, ut medicis hodiè innotuit, *anginæ tracheali* propriæ sunt *. Nonnullas quoque ejus notas, at, ut nobis videtur, cum iis *asthmatis* permistas, narravit CÆLIUS AURELIANUS †.

III. Neque verò angina, quam persequimur, recentioribus medicis, qui, ante HOMIUM, vixerunt, latuisse videtur. Eam GREGORIUS HORSTIUS, qui, propè ducentos abhinc annos florebat, obscure perstrinxit. Neque, profectò, est vero absimile, eundem esse morbum, quem descripsit ETMULLERUS, sub nomine *catarrhi suffocativi*. Quinetiam STRUVIUS, TULPIUS, et adhuc certius GHISIUS, medicus ITALICUS,

* Vid. HIPPOCRAT. *Prognostic*. Lib. III. itemque *Coac. Prænot.* cap. xiv.

† Vid. CÆL. AURELIAN. Lib. III. cap. i.

LICUS, morbi iisdem notis insigniti meminere-
runt. Sunt, porrò, qui censeant, BOERHAVIUM
anginam, de qua dicamus, octingentesi-
mo et secundo *aphorismis* describere *. Ne-
que, enimvero, desunt, quibus videatur, *dys-*
pnœam seu *orthopnœam*, quam ferat SYDENHA-
MUS paucis nonnunquàm horis suffocare æ-
gros, esse *anginam trachealem* †.

iv. Verùm, etiamsi concedendum sit, quos-
dam medicorum, tam vetustiores quàm recen-
tiores, aliquas hujus anginæ notas permistè et
confusè memorâsse ; tamen, ut inter omnes con-
venit, magna ex parte incognita erat, donec
HOMIUS, notis ei propriis accuratissimè col-
lectis, eam à cæteris anginæ formis separaverit,
luculenterque ostenderit, quibus proficisca-
tur causis, et quâ ratione sanetur.

C A P.

* Vid. BOERHAV. *Aphorism. De cognoscend. et curand. Morb. Aph.* 802.

† Aud. GREGOR. *Prælect. de Medicin. Practic. in ACAD. EDIN.*

CAP. I.

De Nomine et Definitione.

v. Ex quo tempore medici recentiores de hoc morbo specialiter scribere cœperunt, alius ei aliud dixit nomen, *SUFFOCATIONEM*, nempè, *STRIDULAM*, *ANGINAM PÔLYPOSAM* seu *MEMBRANACEAM*, *CATARRHUM SUFFOCATIVUM*, *ASTHMA INFANTUM SPASMODICUM*, *CYNANCHEN STRIDULAM*. Præter ea, sunt et alia, de quibus silere melius putamus, ne nostra quid habeat injucunditatis oratio.

vi. CULLENUS, SAUVAGESIUM imitatus, *CYNANCHEN TRACHEALEM* nuncupat: et aptè definit his verbis; “ *Cynanche respiratione difficili, inspiratione strepente, voce raucâ, tussi clangosâ, tumore ferè nullo in faucibus apparente,*

“ *rente, deglutitione parùm difficili, et febre*
 “ *synocha* *.”

VII. Hæc definitio, quantulicunque putent nonnulli auctores, nobis tamen videtur signa propria complecti, quibus cognoscamus *anginam trachealem*, et à cæteris distinguamus. Verùm eam tamen nonnulli emendare conati sunt, non tam adjectis signis ei propriis, quàm propositis de ejus natura opinionibus. Sed, cùm res tantùm cuique morborum propriæ in eum definiendo requirantur, hujusmodi adjectiones, uti definitionibus alienæ sunt, ita morbos cognoscendi studiosis minùs utiles reddunt †.

VIII. Sunt, qui duas hujus morbi species esse censeant, quarum una inflammationem
 habeat,

* Vid. CULLEN. *Synops. Nosolog. Method.* tom. II. gen. x. sp. III.

† Vid. MICHAEL. pag. 89.

6 DE CYNANCHE TRACHEALI.

habeat, spasmus tantum altera. Hæc, uti descripsit MILLARIUS, et vidit HOMIUS FRANCISCI filius *, subito tam invadit, quam decedit. Quinetiam, uti, quos urget, ii non febriunt, ita, quos sustulit, in patefacta eorum animæ fistula neque inflammationis vestigia observantur, neque spuria membrana. Curatur stimulantibus medicamentis, et tepidario.

IX. Verum, etiamsi non dubitemus, hujusmodi formam anginæ nonnunquam esse, de altera tamen sola, quippe quæ non inflammationem modò habeat, verum multo frequentior quoque sit, dicere nobis in animo est.

C A P.

* Professor *Materiae Medicæ* in *ACAD. EDIN.*

DE CYNANCHE TRACHEALI.

C A P. II.

De Historia.

X. ANGINA, quam persequimur, alio aliàs modo adòritur. Interdum subitò, et ex improvìso, invadit. Aliàs obrepit paulatim, et tardè increscit.

XI. Illo nonnunquàm modo infantes interdium incursat, quandò semetipsos ludis oblectant ; at multo sæpiùs noctu, dum quiescunt somni amplexibus. Teneris, quos inter quietem incessivit, nascuntur metus ; quibus perterriti subitò expergiscuntur, atque parentum tam subito pavore percellunt pectora, quàm anxiiis implent curis. Acuto gutturis dolore perciti, tussiunt, anhelant, et videntur propè esse, ut suffocatione pereant.

XII. Multo

xii. Multo autem sæpiùs levis distillationis specie accedit, et lentè increscit. Parentes intereà nescii, quàm periculosus infantibus morbus obrepserit, iis permittunt, ut sub divo, sicut sani solebant, se ludis oblectent.

xiii. Æger, qui eâ ætate est, ut possit quærentibus dicere, quid sit rei, primùm conqueritur de dolore obtuso, calore, et plenitudine, in superiore animæ fistulæ parte; quæ mala, quamvis parùm obstent, ne alimentum devoretur, compresso tamen collo ingravescent.

xiv. His malis accedunt vocis, potiùsve animæ, asperitas; tussicula, tanquàm ab aliquo fauces exasperante; nonnunquàm parcus pituitæ ex naribus fluxus; aliaque distillationis signa. Intereà, tonsillæ inspicienti plerumquè integræ apparent.

xv. Simul languor universi corporis est, et lassitudo; capitis sæpè dolor, nonnunquàm gravitas

gravitas; sitis vehemens; arteriarum pulsus validi, pleni, et duri; facies sanguine suffusa, aliquandò turgida: neque multò pòst, superveniunt cætera mala, quibus ardens febris mortales afficit.

xvi. Pòst aliquantò ingravescent sitis, calor et tussis. His accedunt inquietudo et insomnia. Æger simul maximâ difficultate animam ducit et reddit; et, præsertim cùm supinus in lectum cubet, semisupinusve, sibi videtur in eo esse, ut suffocetur.

xvii. Sub idem tempus, vox admodum irraucescit; atque anima, extrinsecùs per asperam arteriam adducta, stridet, perindè ac si per fistulam metallicam siccam irrueret. Hoc stridore, quem, ex similitudine, galli cantui alii, alii canis gannitui comparant medici, et quem, quamvis verbis descriptu difficillimum, semel auditum omnes facilè agnoscunt, inductus HOMIUS est, neque sanè perperàm, ut morbum, quem insignit, *SUFFOCATIONEM STRIDULAM* appellaret.

xviii. Interdum, at rarò, nausèâ et vomitu afficitur stomachus. Secernendis solito parciùs secretis, cutis et lingua arescunt, neque rarò hæc crustâ albidâ contegitur: urina rubra subrubrave, recens perlucet, frigescens sedimentum deponit: alvus astricta est: si quid exspuitur, mucosum id est, nonnunquàm membranaceum. Tonsillæ, etiamsi inflammationem rarò capiant, nonnunquàm tamen implicantur tanto muco, ut inspicienti tumefactæ appareant.

xix. Pedes et manus, uti ferunt HOMIUS aliique auctores, intumescunt. Quinetiam, si RUSHIO credatur, cutis bis terve cursu morbi efflorescit rubris maculis, totiesque deflorescit; quibus erumpentibus graviora mala levantur*. Hoc verò, siquandò, certè rarissimè accidit, neque, quantum scio, alio ullo auctore memoratur †.

xx. Hæc

* Vid. RUSH. *Medical Inquiries*, vol. i. pag. 144.

† Vid. YELLOUL. *Inaug. Dissertat. De Cynanche Tracheali*, pag. 8.

xx. Hæc mala sæpè citò increscunt. Arteriæ languidè, imbecilliter, et inæqualiter micant: spiritus maximâ difficultate trahitur et emittitur: nares patescunt: livescit facies: et nonnunquàm, miserabile dictu, infans puerve suffocatur, antequàm cari parentes cognoverint in periculo versari, putaverintve opus esse, ut advocarent medicum.

xxi. Nonnunquàm verò, etiam postquàm morbus eò increvit gravitatis, ut mortem intentet, naturæ beneficio levatur. Nisi hic morbus, paulò post initium, discutiatur, brevi ex inflammata membrana faucium, animæ fistulæ, spiramentorumque quæ hæc in pulmones diffundit, sanguinis gluten effunditur; et, nisi effusum extussiat æger pòst paulò, tenuioribus ejus partibus spiritu ablatis, conrescit in membranam, quæ truncum et interdum etiam ramos cavæ arboris repræsentat. Ubi tussis hanc arborem frustulatim, aut ex toto, emolitur, mala, quantacunque

que antea erant, levantur, interdumque morti æger eripitur.

XXII. Quòd si, ut haud rarò, multa hujus membranæ pars manet, æger, quamvis brevi malorum intercapedine fruatur, à futurorum tamen malorum periculo neutiquàm vacuus est. Namque, novâ materiâ relictæ parti adhærente, cava arbor recrescit; et, nisi æger eam denuò extussiat, id sanè quod, præ superveniente debilitate, rarò potest, animæ iter coangustat, eidemque demum prorsùs officit.

XXIII. Si morbus quintum sextumve diem excedit, neque, ante hoc tempus, spasmus *laryngis* musculos corripit, haud rarò humor subfuscus, sero subsimilis, in animæ meatum et spiramenta effunditur, et derepentè vitam exstinguit.

XXIV. Quanquam hic morbus eâ naturâ est, ut parentes atque medicos oporteat omnia
opportunè

opportunè experiri, quibus ejus gradus sistatur, tamen interdum levior est, quàm ut præsentanea remedia requirat. Aliquandò enim, per totum tempus, quod cursu implet, nulla auxilia, saltemve tantùm mitissima, postulat; et cùm, inflammatione conquiescente, inclinet et desinat, quibusdam nihil, nisi distillatio, videtur*.

xxv. Nonnunquàm, postquàm vel *laryngis* musculi sese solito pertinaciùs contraxerunt, et æger videtur propè esse ut suffocetur, rarâ quâdam naturæ bonitate musculi se relaxant, et ereptus orci faucibus æger revalescere, viresque recolligere videtur.

xxvi. Sed, eheu durum! spem redeuntis valetudinis, quâ cùm ægri tum parentum animos erexit hæc intermissio, morbi post paulò incrementum frustratur. Hoc observato, Rus-

SELIUS,

* Vid. FERRIAR. *Med. Hist. & Reflect.* vol. iii.

SELIUS, MILLARIUS, aliique medici, inducti sunt forsitan præproperè, ut concluderent, *cynanchen trachealem*, pariter atque febres quasdam, remittere intermittereve, vicissimque, interposito tempore, recrudescere.

xxvii. Infantes à mammis disjuncti, atque pueri qui nondùm duodecimum ætatis annum transegerunt, in *anginam trachealem* procliviores sunt*, quàm puberes et adulti. Quamquam, ante delactationem, infantes rarò adortur hic morbus, quo maturiùs tamen lacte depelluntur, eo opportuniores sunt, quos invadat.

xxviii. Veruntamen ne adulti quidem omnes à morbo, quem persequimur, immunes sunt. Nam, qui ad vigesimum ætatis annum, imò

* Vid. FRANCISC. HOM. *Inquiry into the Nature, Cause, and Cure of Croup.*

MILLAR. *Observations on the Asthma, and on the Hooping Cough.*

imò trigesimum * pervenerunt, eos nonnunquam adoritur, modò aut eo ipso antea sæpiùs laborârint, aut anginâ tonsillarum, aut anginâ malignâ, aut distillatione. Verùm enimvero vel eâ ætate, ut observârunt medici, hujusmodi mortales apti sunt, quos magnâ vi incessat aut repetat, dummodò frigori et humori se committant, et hinc detrimentum accipiant.

XXIX. *Cynanche trachealis* neque pestilens est, neque hæreditaria. Sunt autem, qui opinantur, esse hæreditariam ; inducti, ut ita crederent, quòd, ut observârunt medici, nonnullis ex parentibus natos adoritur, dum parcit aliorum proli, cui, cum his, non solùm cœli, ætatis, loci, sed interdum etiam ædium, communitas est. Verùm, nostrâ opinione, illorum parentum prolem incessit, horum salvam

vam

* AUD. GREGOR. Prælect. *De Medicin. Practic.* in *ACAD. EDIN.*

vam præterit ; quòd, præter communitatem eorum, quæ memoravimus, propria utrique proli sunt vitæ, victûs, vestitûsque ratio, cæteraque, quibus una, præ altera, apta fiat, quam incurset.

xxx. Etsi *cynanche trachealis* non, sicut morbi pestilentes, ministeriis in vicem, et contagione vulgatur ; tamen nonnunquàm quodam cœli locorumque habitu, quâdamque communi infantilium pueriliumque corporum proprietate, quasi pestilentia, grassatur ; non solùm in oris maritimis, ut haud ita pridem in HIBERNIA *, verùm etiam, ut haud rarò in ANGLIA, in mediterraneis regionibus.

xxxI. Quanquam, cæteris paribus, *angina trachealis* sæpiùs, ut putant HOMIUS aliique scriptores, infantes et pueros corripit, qui loca maritima et humilia inhabitant, quàm
eos,

* Vid. RUTT. *History of the Weather*, pag. 110.

eos, qui interiora et magis edita ; tamen, ut à DISNEIO ALEXANDRO accipimus, ubique terrarum impuberes nonnunquàm adoritur, modò coelum sit frigidum et humidum, et, præ tempestatis varietatibus, calor et frigus crebrò vices alternent.

XXXII. Angina, quam persequimur, ut observârunt MILLARIUS aliique medici, frequentius vere et autumno infantes et pueros incursat, quàm aliis anni temporibus ; at tum maximè, ubi spirat Eurus aut Aquilo. Verùm eos tamen nonnunquàm vel nivosâ hieme adoritur, ubi frigore consistunt amnes, et arva gelu obrigent. In SCOTIA, uti ferunt auctores *, fermè nusquàm, nisi prope mare, infesta est, et ferè nunquàm, nisi hieme et vere.

C

XXXIII. In-

* Vid. HOM. et MILLAR.

CRAUFORD, Disquisit. Medic. Inaug. *De Cynanche Stridula*, ED. ann. M, DCC, LXXI.

xxxiii. Infantes et pueri, ex pauperibus parentibus orti, sæpiùs, ut aliqui putant, *anginâ tracheali* intercipiuntur et pereunt, quàm ex opulentis ; quia cùm victu et vestitu aptiores sunt, quos invadat, tum suâ aut parentum incuriâ frequentius committuntur causas, quæ eam excitent.

xxxiv. Floridi, denique, et pleni, quique, pro ætate, præcoces sunt et vegeti, ii, præ cæteris, *anginæ tracheali* opportuni observantur. Quinetiam, ut à BURSERIO accipimus, hic nonnunquàm morbus, id sanè quod mirum, filios, quibus communes parentes sunt, omnes afficit, omnibus salvis filiabus.

C A P. III.

De Incisis Cadaveribus.

XXXV. NARRATIS *anginæ trachealis* signis, ut ea nosmetipsi observavimus, aut auctores satis fidi, hîc loci haud alienum erit, defunctos patefacere: ut introspeciamus, numqua intûs oculis morbida obveniant, ex quibus cognoscamus, undè oriatur; quâ naturâ sit; quandò spem, quandò metum injiciat; et quâ, denique, ratione optimè sanetur.

XXXVI. In hac rei nostræ parte, HOMIUM et MICHAELEM, tanquàm duces, sequemur, eoque libentiùs, quia omnium primi, patefactis cadaveribus, recluserunt sedem morbi, et res, ut erant, et observârunt esse, exposuerunt*.

XXXVII. In

* Vid. HOM. et MICHAEL.

xxxvii. In defunctis corporibus eorum, quos superavit *angina trachealis*, eadem extrinsecùs apparent, quæ in submersis. Facies tumida et livida est; oculi turgidi, et prominentes; et colli venæ, præter naturam, sanguine plenæ*.

xxxviii. Aspera arteria patefacta recludit membranam tenuem, densam, tenacem, tubulatam, modò albidam modò sufflavam; quæ plerumquè à nativa hujus fistulæ, ex facili, separari potest. Hæc membrana, præ firmitate, aquâ adeò non dissolvitur, ut, licèt in hac aliquot diès macerata, nullam omninò mutationem subeat. Quinetiam, ut compertus est GHISIUS, durior est, quàm ut acutissimo ferro facilè persecari possit †.

xxxix. Pertenuis nonnunquàm hæc membrana est; aliàs adeò crassa, ut animæ fistulam,

* Vid. MICHAEL. pag. 15.

† Vid. MICHAEL. pag. 19.

lam, ferè ex toto, obturet *. Crassissima est, à superiore parte, ubi *laryngi* appropinquat. Ab inferiore parte, uti tenacitas minuitur, ita crassities. In animæ spiramentis in pulmones quoquoersum pertinentibus, membrana nonnunquam, at perrarò, apparet; sed, pro ea, humor mollicellus, albidus, et puri subsimilis, qui nondùm in membranam concrevit.

XL. Adulterina membrana, quam describimus, vasorum prorsus expers est; et, quamvis plerumquè albida, at nonnunquam tamen subfusca seu subnigra, imò etiam interdum maculis variata. Inter eam, et asperæ arteriæ tunicam, continetur humor subfuscus; qui, ut à BAILLEIO accipimus, ex pure et muco constat, et, illâ membranâ perforatâ, statim effluit †.

XLI. In-

* Vid. HOM.

† Vid. BAILLEI. *Morbid Anatomy*, pag. 92.

XLII. Interdum spuria membrana non conspicitur, nisi in posteriore et membranaceâ animæ fistulæ parte, ubi glandulæ plurimæ sunt, quæ mucum secernant, et morbus incipere videtur.

XLIII. Nonnunquàm, asperâ arteriâ patefactâ, neque spuria membrana deprehenditur, neque nimius mucus. Imò, si AUSTINO credamus, aliquandò nulla inflammationis vestigia conspiciuntur. Sed nunquàm forsan hæc absunt, nisi in defunctis eorum, qui spasmus musculorum *glottidis* antè suffocati sunt, quàm arteriæ, in internam animæ canalis tunicam dispersæ, sanguine, supra modum, tumuerunt, et inflammari cœperunt.

XLIII. Plerumquè verò, tam ubi nulla membrana invenitur *, quàm post amotam †, inflammationis

* Vid. CRAUFORD. pag. 9.

† Vid. HOM. Cases 4. 7. 10. 11.

SOLOMON. Obs. 1.

Mem. Lond. Medic. Societ. Vol. iv. Art. XII.

inflammationis notæ, neque eæ sanè ambiguae, inspicientium oculis obveniunt. Interna autem asperæ arteriæ, animæque spiramentorum tunica, nunquàm, quantum scimus, ulcerosa conspicitur; ex quo apparet, hanc inflammationem nunquàm suppurare.

XLIV. Aliquandò non glandulæ modò, ad linguæ basim sitæ, turgidæ sunt, verùm faucium quoque amygdalæ*.

XLV. Pulmones plerumquè sani sunt. At nonnunquàm tamen rubri, præter solitum, sunt, turgidi, maculisque fuscis, aut etiam nigri, perindè ac si, ante mortem, essent gangrænâ affecti †. Nonne hæc signa haud dubiè indicant, inflammationem, ab interna animæ spiramentorum tunica, in pulmonum, dum vita manebat, corpus serpsisse?

CAP.

* Vid. HOM. *Case 5.* citat. ex CRAUFORD.

† Vid. MICHAEL. pag. 15. et 19.

CAP. IV.

De Causis.

XLVI. DICTIS cùm malis, quibus vivos *cynanche trachealis* afficit, tum morbidis, quæ in defunctis patefactis apparent; proximum est, ut investigemus, quibus ex causis, tam abditis quàm evidentibus, oriatur, deinde, pro facultate, exponamus, quæ sit causa ejus continens seu proxima. Qui enim rationalem medicinam profitentur, eorum sanè plurimùm interest morborum causas cognoscere: quippe non credunt ægroti, eos scire, quomodò conveniat morbos curare, qui, undè hi sint, ignorant.

XLVII. *ABDITAE*—causæ morbi, quem persequimur, sunt, proprietas quædam corporis, infantibus

infantibus et pueris, at non omnibus æquè, communis; atque arteriarum, quæ in asperam arteriam ejusque ramos distribuuntur, comparativa debilitas.

XLVIII. In quo consistat hæc corporis proprietas, et quemadmodùm infantes et pueros *cynanche tracheali* opportunos faciat, aggrediemur paucis exponere. Consistit autem, ut nobis videtur, in majore humorum abundantia, quàm quæ adultis sit, ætateve florentibus. Tenerâ enim ætate, ubi sensus acutus est, et irritabilitas viget, non solùm in vias omnes, sed etiam in summam cutem cola glandularum lentum humorem copiosius excernunt qui ea illinat, et patuli arteriarum surculi uberiùs effundunt tenuem humorem qui ea humectet, ne transeuntibus tangentibusve naturis nimis stimulentur.

XLIX. Cùm verò talis humorum, tam secretorum quàm exhalatorum, ratio sit, ut, quanto hìc parciores justo sunt, tanto alibi sint effu-

D

siores;

siores; fieri non potest, quin, quo parciora sunt cutis halitus et unguen, eo uberiora fuerint viarum quarundam halitus et mucus.

L. Quum ita sit, exhalatione cutis suppressâ aut minutâ, sanguis in vias quasdam, sæpissimè autem in alvum, et animæ fistulam, derivatur. Hæ itaque partes, ob nimiam vasorum plenitudinem, aptæ fiunt, quæ vel inflammatione vel profluvio aliquo corripiantur. Hinc apparet, quare infantes et pueri, præ adultis, *anginæ tracheali* et diarrhœæ pateant.

LI. Quin debilitas arteriarum, quæ in animæ fistulam et spiramenta sese distribuunt, infantes et pueros aptos reddat, quos *angina trachealis* adoriatur, nemo medicorum quisquam, nunc dierum, dubitat. Namque, quæ has, præ cæteris, partes infirmant, eadem, ut observârunt medici, ætate teneros in hunc morbum proclives faciunt*.

LII. Hujusmodi

* Vid. CRAUFORD.

LII. Hujusmodi causæ sunt non solùm morbi quidam, velut *asthma, pertussis, catarrhus, variola, rubeola* *, itemque cæteræ anginæ species; sed etiam vagitus vehemens et longus, vociferatio, conclamatio, organorum musicorum inflatio.

LIII. Si, dum his causis debilitantur arteriæ, in animæ fistulam spiramenta que dispersæ, frigus cum humore summam cutem astringunt, sanguis, hinc repulsus, in illas arterias, quippe præ cæteris debiles, et aptas quæ distendantur, festinantiùs irruet, quàm ut potuerint urgere, easdemque plùs justo implebit.

LIV. *EVIDENTES*—*anginæ trachealis*, pariter atque aliarum inflammationum, causæ plerumquè sunt frigus et humor, quibus cutis halitus supprimitur. Hinc oriri, verisimillimum
putamus,

* Vid. HOM. pag. 35.

putamus, cùm quòd initio ferè semper distillationem simulat; tum quòd ibi terrarum frequentissimè ætate teneros incessit, ubi cœlum humidum et frigidum est, et iis potissimùm anni temporibus, quandò tempestas maximè inconstans et mutabilis*.

LV. Cute frigore adductâ, et suppresso ejus halitu, sanguis à superficie corporis in arterias viarum, præsertim autem in eas fistulæ animæ, avertitur, in iisque inflammationem excitat.

LVI. *CONTINENS*—*anginæ trachealis* causa quid sit, inter auctores discrepat. Nonnulli, *HOMIUM* secuti, contendunt, spuriam membranam esse, quam animæ fistulæ et spiramentis obductam suprâ memoraverimus.

LVII. *HOMIANIS*, de hac re, accedere non possumus; quòd interdum in patefactâ animæ
fistulâ

* Vid. *HOM.* pag. 34.

fistulâ spiramentisque eorum, qui hoc morbo periêrunt, nulla hujusmodi membrana conspicitur; quòd nonnunquàm, etiamsi tussis membranam emoliat, nihilo tamen magis sanatur morbus; et quòd aliquandò, nullâ membranâ extussitâ, morbus tamen declinat et desinit.

LVIII. Sunt alii medici, SIMPSONIUS, nempe, MILLARIUS, et RUSHIUS, qui esse spasmum musculorum *laryngis* censeant.

LIX. Sed et huic sententiæ sunt quæ obijciamus. Medicamenta enim, ex iis quæ spasmum solvunt, parùm, ut edocuit experientia, per se ad *anginam trachealem* sanandam pollent. Quinetiam, spastici morbi identidem remittunt aut intermittunt; sed, quantum observârunt HOMIUS, CULLENUS, et GREGORIUS, alique graves auctores, non, nisi rarissimè, *angina trachealis*. Denique, hic morbus, ubi remittit intermittitve, constans est

est neque spatio, quod implent accessiones, neque circuitu, quo redeunt.

LX. Alii, denique, CULLENO duce, putant, causam *anginæ trachealis* continentem, esse inflammationem mucosæ membranæ, quæ asperam arteriam, pulmonumque spiramenta, investiat.

LXI. Ut CULLENIANIS, hac de re, assentiremur, inducti sumus; non solùm quòd hic morbus iisdem causis remotis proficiscitur, quibus alii morbi inflammationem habentes; et initio ferè semper distillationem refert; et febrem plerumquè habet: sed etiam quòd in aspera arteria, ubi in eam serpsit angina maligna, membrana deprehenditur ei persimilis, quæ in aspera arteria, quam affecerit *angina trachealis*; atque, fistulâ animæ post mortem patefactâ, et spuriâ membranâ amotâ, in subjacente mucosâ membranâ notæ, quales inflammationem insigniunt, oculis obveniunt.

LXII. His

LXII. His cognitis, æquum est concludere, *anginam trachealem* consistere in mucosæ asperæ arteriæ membranæ inflammatione; quæ faciat, ut ex hac membrana humor, qualis ex inflammatis visceribus, exsudet, et partim in tenacem membranam concreseat, partim in humorem puri subsimilem convertatur.

CAP. V.

De Diagnosi.

LXIII. Expositis *anginæ trachealis* causis, cum abditis et evidentibus, tum proximâ seu continente, sequitur, ut dignoscamus ab iis morbis, quibus aliqua cum ea sit similitudo.

LXIV. Signis, quibus definitur *angina trachealis*, in memoria retentis, respiritu * nempè strepente, vocis raucitate, tussis clangore, rarò accidit, ut, inter eam et alios morbos tanta sit similitudo, quanta medicum falsum habeat.

LXV. Non-

* Vid. CICERON. *De Nat. Deor.* edit. DAVIS. lib. ii. cap. 55. ubi hæc vox significat actionem, quâ anima extrinsecùs in pulmones adducitur.

LXV. Nonnunquàm autem hæc signa vel non omnia adsunt, vel obscuriora, quàm quæ hunc morbum certò indicent. Aliquandò, ut semel observavit TULPIUS, ferè nulla est spirandi difficultas*. Quinetiam; ut à HOMIO accipimus, eadem interdum mala, quibus mortales afficit *angina trachealis*, oriuntur extraneis in aspera arteria inhærentibus †. Denique, alia aliàs vitæ et victûs ratio, vestitus, tempestas, imò ipsæ oblectationes, aliquatenùs variant morbi faciem, et medicum in errorem inducat.

LXVI. Morbi, qui notis paucioribus pluribusve *anginam trachealem* referunt, sunt *angina tonsillaris*, *angina maligna*, *catarrhus*, *peripneumonia*, *asthma*, *pertussis*. Quibus itaque notis *angina trachealis* ab his morbis
 E internoscatur,

* Vid. MICHAEL. pag. 108.

† Vid. HOM. pag. 49.

internoscatur, quàm brevissimè explicabimus.

LXVII. *CYNANCHE TONSILLARIS*, vix unquàm *cynanche trachealis*, devorandi difficultatem movet, et tonsillarum ruborem et inflammationem.

LXVIII. *CYNANCHE MALIGNA* ubi urget, fauces intumescunt et dolent, et ægro proindè videntur, quasi eas, supra modum, sanguis impleret. Quinetiam, tenacem ex iis pituitam æger subindè exscreat, et interdum vel stridulam edit vocem. Veruntamen, quo intereà morbo implicetur, medico ostendunt faucium crustæ cinereæ, ulcera livida aut nigricantia, cutis maculis rubra, halitus fœtidus, et enervatæ ab initio vires. Adhuc certius *anginam malignam* indicant hæc mala, quandò ministeriis in vicem, et contactu, et ipsâ curatione vulgantur.

LXIX. CA-

LXIX. *CATARRHUS* incipientem *anginam trachealem* multis refert. Maximi igitur momenti est hos opportunè morbos internoscere; cùm præsertim ille p̄terumquè adeò levis sit, ut non postulet medicinam; dum hic, utcunque initio levis sit, periculosissimus tamen est, et, nisi ægro opem opportunissimè ferat medicus, ferè semper lethalis.

LXX. Verùm, quamvis principio difficillimum sit discernere, *catarrho* an *anginâ tracheali* æger tentetur, tamen, haud ita multò post, ex observatis signis certò apparebit, uter morborum urgeat. Utì enim *catarrhus* aliquandò, quasi pestilentia, grassatur, *angina trachealis* non item; ità *angina trachealis*, non autem *catarrhus*, insignitur respiratione strepente, clangente tussi, voce asperâ et stridulâ, itemque facie tumidâ, haud rarò pallidâ, lividâ vel plumbeâ, et magnâ spirandi difficultate.

LXXI. *PERIPNEUMONIÆ* communia sunt, cùm *angina tracheali*, facies tumida, tussis,
et

et spirandi difficultas. In illo verò morbo nec respiritus strepens est, nec clangens tussis, nec vox stridula; quæ huic propria sunt.

LXXII. *ASTHMA* et *angina trachealis* non adeò similes sunt morbi, quin facilè distingui possint. *Asthma* enim potissimùm medios et provec̄tos ætate adoritur; contrà, impuberes præsertim, *angina trachealis*. Quinetiam, *asthma* morbus intermittens est; et, inter accessiones, quæ, per reliquam plerumquè vitam, temporibus sæpè longis quamvis inæqualibus revertuntur, interjectas habet integritates: *angina*, contrà, *trachealis* est ferè semper morbus continens; et brevi tempore aut ipse finitur, aut ægrum tollit. Porrò, dum ille morbus urget, æger vel non omninò, vel non nisi magno molimine, tussire potest; contrà, dum hic, tussit creberrimè. Illo, denique, morbo conflictans, inter spiritum ducendum et reddendum, sibilum strepentem edit; hoc colluctans, in respiritu strepit tantùm.

LXXIII. *PER-*

LXXIII *PERTUSSIS* et *angina trachealis*, etiamsi multa communia habeant, pluribus tamen inter se differunt. Namque ille morbus, contrà atque hic, pestilens est, longus, neque eundem mortalem plùs semel afficit. Quinetiam, *pertussis* intermittit; et, inter accessiones, quæ spatiis licèt inæqualibus redeunt, intercedunt integritates: *angina*, contrà, *trachealis* eodem plerumquè tenore continuat, vix remissionibus nedum integritatibus interpositis. In illo, porrò, morbo, in hoc non item, tussis *convulsiva* et strangulans est, vicissimque respirationis sonorus et iteratus.

CAP. V.

De Signorum quorundam ratione.

LXXIV. DICTIS notis, quibus medici dignoscant anginam, quam persequimur, ab aliis morbis, quibus intercedat cum ea similitudo; hinc loci haud alienum erit, paucis exponere, undè, et quo modo, præcipua mala nascantur.

LXXV. *SPIRANDI DIFFICULTAS* oritur ex animæ itineris angustia; quam ipsam efficiunt, partim spasmus musculorum *laryngis*, partim spuria membrana suprâ descripta, et humor inter hanc et propriam animæ fistulæ spiramentorumque tunicam interclusus.

LXXVI. Has ob causas, singulis vicibus neque pulmones possunt tantam haurire animam,

mam, quantam requirit vita; neque, propter alienas naturas interpositas, potest sanguis exhausta salutarem, pro rata parte, mutationem subire. Sanguine igitur, non ex impuro et purpureo in vitalem et coccineum converso, ingratis oritur sensus, quem *ANXIETATEM* medici nominant; ad quem levandum æger tentat, quàm maximè potest, animam crebriùs ducendo rependere parcitatem, quâ ducitur singulis temporibus.

LXXVII. Hujusmodi autem conaminibus dies noctesque fatigando, æger vires infirmitat; molimina remittit; et, nisi peritus ei medicus subveniat aut salutifer Deus, demùm; cum malis diutiùs colluctando impar factus, cessat spirare, et suffocatur.

LXXVIII. *RESPIRITUS* strepens est, ob angustiam et siccitatem animæ fistulæ; et velocitatem, quâ, singulis vicibus, aër, per hanc, in spiramenta irruit.

LXXIX. *RAUCA*

LXXIX. *RAUCA VOX* et *STRIDULA* est ex spiritu, per angustatam siccamque asperam arteriam et *glottidem*, inter loquendum, celeriter emisso. Nam, uti quò tibiis musicis angustiora foramina sunt et sicciora, et quò celerius per hæc spiritus inflatur, eò earum vox plùs strepit et stridet; ità, ex assimilibus causis, vox hominum*.

LXXX. *TUSSIS CLANGOR* oritur ex iisdem causis, quibus vox rauca et stridula est.

LXXXI. *FACIES TUMIDA* est, quia animæ spiramentis, adulterinâ membranâ et humore opletis et distentis, sanguis neque ex dextro cordis ventriculo, per pulmones, in sinistrum expeditè perlabi potest, neque ex facie, per superiorem venam cavam, in dextram cordis auriculam.

LXXXII. *FACIES*

* Vid. ROCKCLIFF. Disputat. Medic. Inaug. *De Cynanche Tracheali*, § LXI. Glasg. ann. 1799.

LXXXII. *FACIES LIVIDA* aut *PLUMBEA* est, quòd, ob causas suprà dictas, sanguis non, dum pulmones perlabitur, in coccineum convertitur, et insincerum ejus colorem perlucida faciei cutis manifestat.

LXXXIII. *FACIES* nonnunquàm *PALLIDA* est, vel quia, ut in quibusdam, cutis minùs perspicua est; vel quia, ut multò sæpiùs, viribus emorientibus, et ægro ne suffocetur erecto, sanguis ex sinistro corde, per magnam arteriam, in caput languidè distribuitur.

LXXXIV. *PEDUM* et *MANUUM AQUA INTERCUS* est, quòd sanguis, causis suprà dictis impeditus, ne facilè à dextro cordis ventriculo, per pulmones, permanet in sinistrum, non potest confluere, per innumeros venæ cavæ rivulos brachiaque duo, in dextram cordis auriculam. Arteriæ igitur, in extremitates membrorum dispersæ, sanguine usquè eò turgescunt, ut ex patulis surculis aquosas hujus partes in cavernosam membranam cuti subjacentem effundant.

CAP. VII.

De Prognosi.

LXXXV. EXPOSITIS præcipuis *anginæ trachealis* notis, res videtur postulare, ut, hîc loci, antè proprias notas explicemus, quæ medicum et parentes erigant in spem, vel de spe dejiciant, quàm ad curationem transimus. Multæ res, ut benè observat HOMIUS, concurrunt, quæ hunc morbum periculosum reddant. Nonnunquàm enim, distillationis specie, infantibus et pueris adeò lentè et insidiosè obrepit, ut nullum parentibus metum inferat; et, medico nondùm arcesso, neglectus inobservatusve increscit, donec maximum jam immineat periculum. Aliquandò, contrà, subitò, et ex improvise, adoritur; et

et adeò citò ingravescit, ut non detur tempus, quo adhibeatur medicus, vel adveniat prosiſque adhibitus. Haud rarò inſeſſit tenerrimos infantes; qui rogati neſciunt commiserantibus parentibus medicove dicere, quid doleat, quibusque malis urgeantur.

LXXXVI. Quò ſciat in futurum præſagiri medicus, debet, primùm ut arceſſitus advenit, non ſolùm percunctari, quamdiù morbus jam continuaverit; et reputare, quid ſit anni tempus, quæ tempeſtas: ſed etiam animadvertere, quanta vis inflammationis, febris, ſpirandique difficultatis urgeat; quæ ægro corporis conſtitutio et habitus ſint; et quæ ſuperſint vires. His enim neglectis et incognitis, non poteſt præſcire, expectandusne ſit bonus morbi exitus, an malus timendus.

LXXXVII. Si, poſt tres vel quatuor dies, magna ſpirandi difficultas eſt; tuſſis ſicca, frequens, et clangens; arteriarum ictus celeres et debiles; facies ſanguine ſuffuſa et
rubra;

rubra; malum est. Mali etiam morbi testimonium est vehementer et crebrò spirare; anxietate premi; nudare brachia et crura, et inæqualiter dispergere.

LXXXVIII. Mors denunciatur, ubi, post tertium quartumve diem, tussis, etiamnum clangens, nec membranacei nec mucosi quid emolitur; ubi, post extussitas membranulas cæterasque alienas naturas, sputum cessat, et æger majore spirandi difficultate premitur. Neque is servari potest, cujus vires fatiscunt et emoriuntur; cujus facies pallet, livet, plumbeumve ducit colorem; cujus manus et pedes aquâ inter cutem intumescunt. Hæc, enimverò, indicia animæ spiramenta adulterinâ membranâ et humore ferè oppleri, et mortem subesse, testantur.

LXXXIX. Contrà, consolari licet ægrum spe salutis, si, post biduum triduumve, remittit febris, quæ à morbi accessu levis fuit; si spirandi difficultas non ità magna est; si arteriarum

riarum pulsus, quamvis frequentes, validi tamen atque firmi sunt; si vox, nisi dum vagit aut tussit æger, haud multum ab ea sani infantis aut pueri ejusdem ætatis differt.

xc. Is à periculo plerumquè tutus est, qui tussi firmâ frustula membranacea, et humorem ex pure et muco compositum, ex facili, emolitur. Neque, ut perhibet GREGORIUS, terreri debent parentes, quamvis, post extussitas ex animæ fistula spiramentisque alienas naturas, convalescens voce raucâ et stridulâ aliquandiù loquatur*.

CAP. VIII.

* Aud. GREGOR. Prælect. *De Medicin. Practic.*
in *ACAD. EDIN.*

CAP. VIII.

De Curatione.

XCI. ABSOLUTIS cæteris rei propositæ partibus, nunc transeundum est ad eam partem, quæ curationem exponit. Quò hic morbus ad sanitatem perveniat, maturè consulto et factò opus est. Quippe, uti nullus morbus est, qui tempestivâ medicinâ sæpiùs curatur, ità nullus, qui serotinam sæpiùs vincit.

XCII. Medicus opportunè advocatus debet quamprimum inflammationem animæ canalis et spiramentorum digerere, ne spuria membrana formetur; aut membranæ, si morâ interpositâ aut morbi gravitate jam formata sit, sputum movere; dein revalescentis vires confirmare.

firmare. Quibus hæc exsequi possit medicus, nunc quàm paucissimis exponere nobis in animo est.

XCIII. *PRIMO CONSILIO*, opus est, ut ægro subveniat medicus sanguinis missione, vomitione, alvi purgatione, itemque interdum exulceratoriis et rubefacientibus. De his itaque ordine pauca dicenda sunt.

XCIV. *Missio sanguinis*, quippe cùm ad inflammationem discutiendam plurimùm polleat, sine mora, adhibenda est. Simul igitur atque constat, infantem aut puerum *anginâ tracheali* corripì, sanguis debet detrahi aut ex incisa brachii vena, aut ex alterutra externarum juguli venarum. Ex brachii autem vena sanguinem elicere melius est; nisi, ut haud rarò in teneris infantibus, exiguior sit, quàm in quâ fiat plaga satìs ampla, quâ sanguis, id sanè quod multùm optandum est, pleno rivo effluat. Ex alterutra parte, prout res exigant, tantum sanguinis detrahendum est,

est, quantum vis morbi requirat, et ægri vires pati posse videantur. Dummodò prima detractio non satìs valeat ad inflammationem digerendam, altera, si vires sinant, interdum etiam tertia, adhibenda est.

xcv. Ubì tenera ætas ægri non permittit, ut ex vena ferro incisa sanguis detrahatur, aut morbi levitas non requirit, debet ministris hirudinibus elici ex faucibus externis. Utì autem ex sanguine sic misso minus tenerrimâ ætate periculum est, ità firmiore aliquantò levius præsidium.

xcvi. *Vomitio*, quippe quæ faciat, ut in corpus æqualiter totum distribuatur sanguis, multùm ad inflammationem partium internarum digerendam conducit. Hunc in finem, medicamentorum optima, quibus vomitus moveatur, sunt præparata quædam ex stibio. Hæc, quæ singulatim recensere non opus est, tantâ primùm assumenda sunt copiâ, quanta vomitum cieat; dein tantulis portionibus, quantulæ,

tulæ, subindè repetitæ, nauseam aliquandiù perpetuent, et cutis halitum. His medicamentis eo consilio datis, ut cutis halitum moveant, haud insolitum est paucas guttulas *tincturæ* opii, aut pauxillum medicamenti quod scillas habeat, adjicere.

xcvii. *Purgatio*, cùm vacuefaciat alvum acribus et irritantibus naturis, et vasorum plenitudinem minuat, et sanguinem à superioribus corporis partibus, inferiores versus, derivet, persæpè efficax remedium est, quo discutiat^r inflammatio.

xcviii. Hoc consilio, si magna vis inflammationis urgeat, et vires sinant, validiora cathartica assumenda sunt, quæ alvum acriter moveant. Horum, ut putant RUSHIUS, ALEXANDER, aliique, longè optimum est *urias hydrargyri dulcis*. Ille quidem medicus contendit, *cinchonâ* non certiùs curari febrem intermittentem, quàm hoc *muriate anginam trachealem*. Quin efficacissimum medicamentum

G sit,

sit, non dubitamus. Dum enim alvum movet, pars ejus absorpta cutis halitum elicit; et sic uno plus modo conducit ad digerendam inflammationem.

xcix. Quòd si levior inflammatio est, quàm quæ vehementiora cathartica desideret, aut hujusmodi assumi vires non patiuntur; satius erit alvum laxare lenioribus medicamentis, aut lotionibus subtèr immissis ducere.

c. *Exulceratio*, porrò, remediis annumeranda est, quæ, uti comprobavit experientia, ad inflammationem dissipandam multùm valent. Cùm ità sit, post sanguinem semel iterùmve missum*, et vomitum, aut fauces, aut pectus, aut cervix idoneo emplastro inducto exulcerari debet. Interdum, etiam ante sanguinis detractionem, exulcerare licet, modò inflammatio levior sit, quàm quæ id remedium requirat.

ci. Ne

* Vid. GREGOR. *Conspect. Medicin. Theoret.* vol. ii. pag. 485.

CI. Ne acre quid ex emplastro insorbeatur, et urinæ difficultatem moveat, oportet aut sindonem inter emplastrum et cuticulam interponere, aut emplastro *camphoram* addere, aut præcipere, ut, quamdiù summæ cuti incumbit, æger mitissimis identidem potulentis sitim expleat. Si, his neglectis, superveniat urinæ difficultas vel impotentia, parti exulceratæ inducendum simplex emplastrum est, aut ejusmodi, quod continet insupèr *camphoram* et opium. Siquandò fallant hæc auxilia, desideratam opem rarò non feret lotio, quæ *camphoram* et opium habet, in alvum, ex inferiore parte, immissa.

CII. *Rubefacientia*, quoties morbus levior est, quam ut exulcerationem desideret, partibus suprâ (c.) dictis affricare, uti tutum erit remedium, ita forsitan utile.

CIII. *Abstinentia* non solùm ipsa, per se, remedium contra inflammationem est, sed etiam necessaria, ut cætera remedia et medicamenta,

camenta, quæ exposuimus, ad spem respondeant. Cùm ità sit, æger, dum cavet calorem, et silentium agit, debet abstinere à carnibus, meracioribus potulentis, et, ne multa, cæteris, si qua, stimulantibus, quibus incitentur cor et arteriæ, et nimium in animæ fistulam spiramenta que sanguinem urgeant.

CIV. *SECUNDUM CONSILIUM.* Si, medicamentis et remediis, quæ explicavimus, neglectis, ad spemve non respondentibus, spuria membrana formata est; opus erit, ut, sine mora, æger ea assumat et faciat, quibus hæc extusiat. Quæ igitur hæc sint, paucis exponemus.

CV. Sed hìc loci quærat, quæ signa indicent, formatam esse membranam. Fortassè, respondemus, facies ex rubra livescens, et urinæ sedimentum deponens: dum intereà spirandi difficultas adeò non remittit, ut potiùs increseat; vel paululùm et paulispèr minuitur, siquandò, iis corporis posituris, quæ sano ad animam

animam reciprocandam maximè incommodæ videntur. His in transcurso dictis, nunc ad rem redimus.

CVI. *Vomitio* nonnunquàm consequitur, ut tussis membranam spuriam, aliasque aduterinas naturas, ex animæ meatu et spiramentis emoliatur. Optima medicamenta, quibus, hunc in finem, vomitus excitetur, sunt *ipeacuana*, et *tartris potassæ stibiatus*, plenis dosibus. Tantulis hæc medicamenta scillasve assumere portionibus, quantulæ nauseam tantùm moveant, haudquaquàm æquè prodest.

CVII. *Vapores aquæ calidæ*, in pulmones hausti, aptam nonnunquàm membranam reddunt, quæ facilè extussiatur *. Hujusmodi vapores, “ cum spiritu in pulmonem hausti, hunc
 “ foveant, humectant, molliunt, laxant, *spas-*
 “ *mum*, siquis adsit, solvunt, exhalationem et
 “ mucii secretionem promovent, hunc quoque
 “ diluunt et attenuant, ejusque sic exscreatio-
 “ nem

* Vid. YELLOWLEI. Inaug. Diss. pag. 49.

“nem promptiorem et faciliorem reddunt, et
 “demùm bonum remedium *expectorans* fi-
 “unt*.”

CVIII. Hi vapores hauriri possunt ministrâ
 machinâ, quam, ex MUDGIO quodam inven-
 tore, *MUDGIANAM* nuncupant medici. Quoniam
 autem vapores, per hanc machinam, ducere in
 pulmones, haud adeò facile est; haud scimus,
 an non, id sanè quod proponit WITHERINGIUS,
 satius sit in calidam aquam tantum calcis vi-
 væ injicere, quantum fervefaciat; dein ægro
 ostendere, quemadmodùm, per idoneum tu-
 bum, ascendentes vapores ore accipiat †.

CIX. *Expectorantia* cætera, quæ propo-
 suerunt medici, singulatim dicere, haud nobis
 consilium

* Vid. GREGOR. *Conspect. Med. Theoret.* vol. ii.
 pag. 424.

† Vid. DUNCAN. *Annals of Medicine* in annum
 1798, pag. 451.

LANG. *Disput. Inaug. De Cynanche Tra-
 cheali*, § LXXV.

consilium est; eòque minùs, quòd omnium hujus generis medicamentorum longè optima, in morbo quem persequimur, sunt ea, quorum jam mentionem fecimus; vomitoria, scilicet, et vapores aquæ calidæ. Nam vel scillis hæc anteponimus.

cx. *Spasmm solventia*, modò angustata *glottis* obstet quò minùs spuria membrana extussiatur, et mortem intentet, in auxilium vocanda sunt. Hujusmodi sunt opium, *æther sulphuricus*, *moschus*, et *asa fœtida*, in stomachum assumpta. Quinetiam, quò solvatur *glottidis* musculorum spasmus, fortassè haud inutile erit fauces extrinsecùs *æthere* eodem fovere, et crura simul et pedes aquâ tepidâ.

cxI. *Bronchotomia*, si cætera, quæ exposuimus, spem fefellerint, est, ut nonnulli putant, experienda, ut membrana extrahatur, et ex media morte reservetur æger. Hoc verò auxilium, uti ultimum est, ita dubium; et, nostrâ opinione, vix minùs, quàm ipsa vis morbi,

morbi, timendum. Quippe, animæ fistulâ perforatâ, quo instrumento potest chirurgus membranam apprehendere; et quo modo potest apprehensam extrahere sic, ut non intercludat spiritum, et miserum suffocet?

CXII. Animorum igitur dubii sumus, nunquandò fas sit auxilium tam periculosum experiri; nisi ubi tutiora pariter omnia spem fefellerint, periturusque sit, qui laborat, nisi temerariâ viâ fuerit adjutus. In hoc statu boni medici est ostendere, quàm nulla spes, sine asperæ arteriæ incisione, sit; faterique, quantus in hac ipsa re metus sit; et tùm demùm, cùm satius sit anceps auxilium experiri, quàm nullum, animæ fistulam incidere; et tentare, membranam, si qua, extrahendo, ægrum ex media morte eripere.

CXIII. *TERTIO CONSILIO*, oportet convalescentis vires reficere, ne in morbum recidat. Hunc in finem, debet nutriente at levi diætâ vivere; modicâ exercitatione uti; simulque præparatum

ratum ex *cinchona*, quod stomacho aptissimum sit, assumere. Quinetiam, oportet re-
valescentem vestitu uti, qui cutis halitum
evocet, neque tamen corpus gravet; atque,
si res sinant, non diutiùs mare aut paludosa
accolere, sed recipere se in regiones, ubi aër
sit siccior et salubrior, neque impuberes in-
colæ *anginæ tracheali* opportuni.



